DISSERTATIO
PHYSIOLOGICA INAUGURALIS
DE
CAUSIS GENERALIORIBUS MOBILITATIS IDEARUM NEC NON AFFECTIONUM APUD FEMINAS,

QUAM FAVENTE SUMMO NUMINE,

ET AUTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JOHANNIS CAROLI FRIDERICI HAUFF,

ORD. MATH. ET PHYSICORUM PROF. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ ET LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

EDUARDUS-DESIDERIUS BREBART,

GANDAVENSIS,

DIE ~~XVII~~ XX JANUARII ANNI MDCCCXXVII, HORA ~~XI~~ X, IN AULA ACADEMICA.

GANDÆ, TYPIS J.-N. HOUDIN.

Ex præscripto art. 56 leges Acad., opiniones in Dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ, et à Facultate nec approbatæ, nec improbatæ sunt habendæ.

PARENTIBUS OPTIMIS,

FRATRI, SORORIQUE DILECTISSIMIS,

SACRUM.

Je respecte, j'aime les femmes sans leur prêter des qualités ; je ne les vois pas telles qu'elles ne sont pas; je les aime telles qu'elles sont ; et dussé-je porter trop loin la franchise philosophique, je dirai....

(Thomas, *Essai sur le caractère et les les mœurs des femmes.*)

PROŒMIUM.

Psychologiæ partem quamdam aggredientes, non potuimus non aliquot verba facere 1.° de organo functionum moralium, 2.° de fontibus et mechanismo functionum hujus organi (quod cerebrum esse probabimus), 3.° de circumstantiis quæ organum hocce illiusque functiones modificare queunt.

Has considerationes quanquam generaliores herclè omisissemus, si, in eâ materiâ, minùs discrepavissent physiologi; et alterutrius opinionem, si argumentis sufficientibus suffulta fuisset, amplecti potuissemus. Sed cùm vel admittenda, vel rejicienda, vel concilianda alterutra sit, tramitem hunc difficilem ingrediemur, in quo perfacilè vestigio falli possumus. Nobis tamen non deest felicis spes exitûs; et, si nobismet ipsis constantes, si principiis eorum qui nobis in curriculo lumen prætulerunt, fideles nos præstemus, certè propositum ardentiore studio appetitum feliciter assequemur.

Dein, absolutis his prolegomenis, eâ distributione, methodo, claritate utemur quibus quotidiè, tam mirum in modum, insignes sunt lectiones præceptorum nostrorum; et rapidè conditiones quasdam organicas *innatas* vel *acquisitas*, individuis omnibus debilioribus, ac præsertim feminis generaliter proprias examinabimus. Sic ad inductionem necessariam perveniemus aliquot moralium semper observatarum, semper observabilium consequentiarum, tùm e vitio educa-

tionis et statûs socialis, quùm è causis materialibus physicæ dispositionis orientium. Debilitati, mollitiei systematis nervosi, ac cerebri potissimùm et infirmitati totius organismi correlativæ, mobilitatem adscribendam esse probabimus. Posteà, demonstrabimus quomodo omnia ad quæ, vel ob vitæ necessitates, vel delectationis causâ confugiunt mulieres, delicatiorem adhuc illarum sensitivam organisationem reddant; et quomodo illa mobilitas adeò conspicua in sexûs idæarum et affectionum indole, quam ferè semper gignunt, et constitutio debilis innata acquisitave, et status socialis vitiosus, adaugeatur. Attamen, benevole lector, caveas ne ex illis corporeis feminarum viribus inferioribus eamdem differentiam concludas in intellectu, si viris comparentur. Nam, si probatum est feminas ad illam ingenii sublimitatem quam viri præstantiores assecuti sunt, pervenire generatìm non posse, quæ in sexu suo primum obtinent locum, procul à se maximam tamen generis humani partem relinquere; vires etenim musculares et omnia corporis robur efficientia, ad energiam facultatùm intellectualium et moralium eatenùs solummodo adjumento sunt, quatenùs ad nisus ingenii sustinendos, atque defatigationem et exinanitionem antevertenda, necessaria sint. Quis majorem minoremve organorum quorumdam in encephalum illiusque functiones actionem negaverit? Sed credendum est corporis generalem habitum, ut plurimùm, informari cogitationis organo, quod reliquas partes plus minùsve dominans, impulsu suo istas, eâ ratione scilicet quâ singulis utitur, evolvit. Non aliquot differentiis in solâ conformatione trunci et membrorum limitantur characteres utrique sexui proprii. Quantas, pars organa intellectûs continens, ostendit differentias!! Fateamur præcipuam causam difficultatis quam in determinandis, generali quidem modo, naturâ et viribus

intellectûs sexûs sequioris, experimur, indè originem habere, quòd non satis attento animo feminæ cerebrale systema inspicere soleant physiologi. Sed veremur ne nimis extensas considerationes spatio angustiori coerceamus. Denique dissertationi nostræ finem imposituri sumus expositione regularum aliquot hygienes, quæ hanc dispositionem, quantum efficere et consequi valemus, quandò innata est, corrigere possunt, vel quæ hujus evolutioni, cum perversæ institutionis naturalis est consequentia, impedimento esse queunt.

PROLEGOMENA.

De Organo functionum moralium.

In œconomiâ nostrâ ordo quidam datur functionum, nobilissimum efformans speciei humanæ attributum nobisque solis proprium. Diù hujus functionis actus cujus studium *Psychologiam* constituit, exclusorii immediatique animi operationum effectus habiti fuêre; et quidam in physiologiâ rudes et ignari, nomine *Metaphysici* (1) hoc insigne dominium usurpaverant, quod nunc physiologi solidis innumerisque argumentis fulti recuperaverunt. Certè, si *Metaphysici*, *Ideologistæ*, etc., et omnes qui de *Psychologiæ humanæ* tractare voluerunt, physiologiam novissent, vel ut meliùs dicamus, si physiologi aliis partem ejus nobilissimam non dereliquissent et psychologiæ studuissent, procul a fallaci hypothesium viâ minùs erratum fuisset. Alii, inneitatem idæarum defendentes, insulsas propositiones immedium haud attulissent; alii, harum actionum

(1) μῆτα-Φυσις, *au-dessus du physique, de ce qui est perceptible aux sens.*

fomitem internum, soli tribuentes causarum externarum excitationi, non obliti essent, et dubiis vicibus aleæ nullis terminis circumscriptæ, hanc tanti momenti functionem non subjecissent.

Phænomenorum intellectûs et affectionum (*des phénomènes intellectuels et affectifs*) fontem, animæ ipsi adscribunt metaphysici, illaque nulli instrumento materiali obedientia aut subjecta habentur; undè verba *Metaphysica*, *Psychologia*. Quanquam auctoritate magnâ gaudet hæc opinio, dicimus et defendimus propositum sequens: *actus psychologici sive sint fetus immediatus agentis cujusdam materialis* (physique), *vel principii cujusvis immaterialis organo huicce ligati*, *illos instrumento materiali obnoxios esse negari non potest; ergo adnumerandi sunt reliquis functionibus, et physiologiæ attributis.*

Quæstionem primam in medio relinquentes, physicam naturam in moralem, vim maximam exercere probemus.

1.° Versùs caput et viscera morbidis stipatur phænomenis, facultatum intellectualium alta et sedula contentio.

2.° Modificationibus materiæ organicæ exercitium illud esse submissum, istarum facultatum activitas ac quies, exercitatio et languor, per vices sibi succedentia, demonstrant.

3.° Ætas, temperamentum, sexus, vigilia, somnus, sanitas, ægritudo, clima, opificia et munera, modo non dubio, vim suam in statum functionum intellectualium exercent. A solâ animâ exclusoriè non pendet intellectus; quâ hypothese admissâ, nasci, crescere, senescere, bene valere, ægrotare, etc., potest animus. Petimus ergò an rationaliter in ente spirituali, et naturâ suâ immutabili, ejusmodi mutationes concipi queant. Quis tam ignarus, ut injectæ parvæ quantitatis vini, caffæi, etc., promptos effectus

nesciat ? et quidem, quomodò istarum substantiarum actiones principium immateriale modificare possent?

Instrumenti functionum intellectualium natura materialis, sive illud immediatum sit, nec ne, haud dubia est.

Physiologi omnes in cerebro posuerunt sedem functionum intellectualium, ita de functionibus affectionum (affectives) res sese non habet, omnes enim auctores eis variam indicant sedem. Jam *Plato* hanc inter viscera distribuerat. Extrà cerebrum, in thorachicis et abdominalibus visceribus illas functiones collocaverunt *Bordeu*, *Buffon*, *Cabanis*, etc. *Bichatus* verò nervos organicos, vel ganglionum indicat. Auctores hi omnes præcipuè nituntur in eo, quòd versùs viscera, effectus suos, passiones et affectiones producant; eamdemque sedem vox et signa mimica indicent. Quomodo haberi possunt ut organa quorumcunque moralium actuum, viscera illa quorum functiones omnibus notæ sunt, et quæ inter se tantas offerunt differentias? Si passiones phænomena sunt sensoria, an non, ut reliqua hujus generis phænomena, in organis nervosis residere debent? Encephalo læso, non-ne, ut facultates intellectûs, affectionum facultates pervertuntur, suspenduntur que? Si viscera hisce nobilioribus muneribus funguntur, cur vitæ nostræ primo die, cùm jam existunt et maximæ gaudent activitate viscera, desiderantur passiones? apud idiotas, viscera ista reperiuntur et agunt; in his tamen individuis intellectus nec affectiones animadvertuntur. An deteguntur mutationes in facultatibus illis, apud individuos cordis vel hepatis morbo laborantes? minimè; et in eis morbis, æger suæ ipsius destructioni, animo præsens interest!! Effectus igitur pro causâ habitus est. Præterea, versùs varia viscera effectus suos edunt illa phœnomena pro variis individuis; imò tota sæpè

turbatur œconomia : in pavore, simul existere possunt perturbatio cerebralis, cordis palpitationes, icterus; tunc cani subitò facti sunt plurimi; aliquandò, repentè nigro colore cutis infecta est. *Georget* qui duo exempla à cel. *Rostan* observata refert, addit et maximum casuum numerum qui hoc nostrum assertum corroborant. Deniquè in cerebro posita phœnomena intellectûs, sicut in omnibus visceribus turbas producere possunt, quarum multa exempla dedit *Tissot* (1).

Omni ope atque operâ enitamur hanc mancam doctrinam destruere; si enim, cum *Bichato*, motuum a passionibus productorum vim insuperandam admittimus, quam cum convulsionum irresistibilitate, fragmento ossis cerebrum pungente, comparat, naturaliter ad liberæ voluntatis negationem, ad educationis impotentiam in passionibus attenuandis, moderandisque, adducimur.

Examinemus nunc an, ad facultatum psychologicarum executionem, totum encephalum requiratur, vel an ad hoc munus obeundum, pars tantùm quædam sufficiat; videamus quoque an quævis harum facultatum partem specialem ejus productioni addictam possideat. Quod quæstionem primam pertinet, negationem suadent perplurima facta; attamen partes quasdam encephali distinctas sensationibus et motibus voluntariis inservire, certum est. Secundam opinionem professus Cartesius (*Descartes*) sedem animæ in glandulam pinealem ponebat; alii corpus callosum indicant, etc. Jam diù nota est tertia propositio; nam plerique psychologistæ duo genera operationum fundamentalium, mentem scilicet et voluntatem, intellectum et sensum, etc....... Supponentes, organorum

(1) Tissot, *Santé des gens de lettres*, édit. de M. Hallé.

ergò pluralitatem admittebant; differentes enim functiones differentia organa requirunt.

Dicit cel. prof. *Adelon* Arabes posuisse *Sensum communem* (*le Sens commun*) in ventriculo primo, *Imaginationem* in secundo, *Judicium* (*le Jugement*) in tertio, Memoriam in quarto. *Albertus Magnus*, Ratisbonæ episcopus, *Sensum communem* et *Imaginationem* in primo ventriculo, *Mentem* et *Judicium* in secundo, *Memoriam* in tertio locabat. Verbis expressis contendit *Willis* corpora striata sedem esse *Perceptionis*, centrum ovale *Memoriæ* et *Imaginationis*, etc. tandem auctor ille cerebellum ut principium motuum habet (1). Posteà ad pluralitatem organorum cerebralium propensêre *Bonnet* (2), *Le Roi* (3), *Cuvier* (4), *Sæmmering* (5), *Gall* (6).

Gall specialiter in hâc organorum pluralitate institit; quæ ex ipsâmet facultatum primitivarum pluralitate nascebatur; undè propria unicuique facultati inesse organa, factis argumentisque nonnullis fretus, a priori induxit.

Asserta sua probat cel. ille medicus : 1.° Comparatione intellectûs factâ, cum digestione vel sensatione, in genere.

2.° Simultaneâ evolutione facultatis cujusdam et partis correlativæ encephali, in variis ætatibus sicut et in animantium serie;

3.° Frequenti unius alteriusque facultatis prædominantiâ;

(1) Willis, Cerebri Anatome. Amstelodami, 1667, in-12, pag. 30.

(2) Charles Bonnet, *Essai de Psychologie*. Londres, 1775. — Ch. Bonnet, *Essai analytique des facultés de l'âme*. Copenhague et Genève, 1770.

(3) G. Le Roi, *Lettres philosophiques sur l'intelligence des animaux*.

(4) *Leçons d'Anatomie comparée*.

(5) Sœmmering, Hirn-und-nerven-lehre. — *Denkschriften der K. Acad. D. Wissensch zu München, für das jahr* 1808, S. Th. Sœmmering, Academicæ Annotationes de cerebr administrationibus academicis vasorumque ejus habitu, pag. 73, § 17.

(6) Gall, *Physiologie du cerveau*.

4.° Quorumdam individuorum ad illam exercendam naturali propensione ;

5.° Eorumdem habilitate in illius exercitio ;

6.° Defatigationis sistendæ et impediendæ potentiâ, si, facultate quâdam exercitâ, aliam exercere velimus ;

7.° Monomaniâ ;

8.° Læsione partis cujusvis cerebri, quam constantem ejusdem facultatis modificatio sequitur.

Sed nobis objicietur effusiones sanguinis, alterationes locales circumscriptæ (quæ gallicè *ramollissemens* vocantur), sine ullius facultatis læsione, sed vehementer turbato intellectu, quotidiè videri ; quidam petunt, quomodo cerebrum in variis partibus substantiâ analogâ conspicuum, tam varias tamen functiones exercere possit : hæ objectiones facillimè refutantur.

Quamvis in punctis aliquot dubia, affirmari tamen potest organorum cerebralium pluralitas ; et forsan quidem, hæc quæstio non ampliùs sub judice est. Quidquid id est, ea certior est doctrina quàm quæ talem vel talem partem ut organum talis vel talis functionis indicat.

Facultatum affectionum in regione occipitali, in frontali autem facultatum intellectûs sedem ponit cel. *Gall.* Facta quibus ad hanc conclusionem ductus fuit ille, optimè fuerunt observata, eorum verò numerus parvus adhuc est. Hanc doctrinam corroborant opera in lucem edita à *Rolando* (1) et *Flourens* (2).

(1) Saggio sopra la vera struttura del cervello dell' uomo e degl' animali, e sopra le funzioni del systema nervoso; di Luigi Rolando, 1809. *Cet ouvrage vient d'être traduit par MM. Jourdan et Boisseaux.*

(2) *Recherches expérimentales sur les fonctions du système nerveux dans les animaux vertébrés ; par P. Flourens*, 1824.

Concludo ergò encephalum et *solum encephalum* motuum omnium voluntariorum, functionum intellectûs et affectionum, organum habendum esse. Hoc propositum et sequens illud implicité concluditur, scilicet in serie animantium, intelligentiam encephali compositionis gradu determinari; apud animantia, cerebro simplice prædita, angustiorem semper esse intelligentiam; apud illa autem quæ implicito cerebro conspicua sunt, multò latiùs patere sensûs moralis sphæram. In reliquis enim functionibus forma, structura organi et apparatûs, ipsius functionis characterem determinat. Cur in functione morali res aliter sese haberet? In quovis animali, juxtà modum, functionibus sensationum, digestionis, etc..., necessarium, efformati sunt apparatus sensationum et digestionis; cur pro charactere quem exhibebit psychologia, præcompositum non foret encephalum? Tandem factis directis assertum illud probatur. In serie animalium magis magisque implicita fieri cerebra observamus simul atque intellectus augetur, et sub hâc duplici ratione, ab infimis animalibus ad hominem usque, scalam gradationis facere possemus. Si ex animalibus omnibus homini major inest intellectus, si solus altas et religionis et ethicæ ideas amplectitur, solus etiam est qui amplissimum ostendit cerebrum et majori numero partium compositum. Ità, si ad gradum altiorem perfectionis lata foret encephali physiologia, solà comparatione cerebri animantium cum cerebro hominis institutâ, quæ humanitatem constituunt, ostendere possemus. Sic à priori, pro tali psychologiâ ædificatum est encephalum, ut apparatus digestivus pro tali vel tali alimentatione; et, si ità res non eveniret, an aliquid foret certi tùm in jurisprudentiâ, tùm in Ethicâ, etc?

Præterea legas quæ de hàc materià scripserint *Bonnet* (1), *Cabanis* (2), *Chaussier* (3), *Gall* (4), *Cuvier* (5).

De Mechanismo functionum cerebralium.

Ex apparatu sensuum cognitionem rerum externarum percipit cerebrum. Ab *Aristotele* primùm veritas ea promulgata fuit, in axiomate : *nihil est in intellectu quin priùs fuerit in sensu.* Illam professi sunt doctrinam *Baco*, *Locke*, *Condillac*, *Buffon*, etc.; qui philosophi pro principio habent organum intellectuale, antè nativitatem *tabulæ rasæ* similem esse, omnique principio et idæâ generali, etc....., orbatum, solâ *experientiâ* idæas et principia acquirere. Affirmant iidem, juxtà *Aristotelis* effatum, omnium notionum sensationes esse elementa. *Plato* è contrà innatas supponit esse notiones de naturâ corporum. Secundùm hunc philosophum, in ingenio corporum essentia, exemplum, imago, præconcipiuntur. In intellectu inscio existunt hæ imagines; et si ab eo animadvertuntur, hoc tantùm accidit quâdam reminiscentiâ è sensationibus quas hæc corpora ei suppeditant, natâ. *Plato* ergò hos typos, veluti ab intellectu independentes, habet.

Cartesius contrà contendit illos intellectûs nostri esse operationes. Plùs minùsve modificatam idæarum innatarum doctrinam secutus

(1) Ch. Bonnet, *Palingénésie philosophique*, tom. I, pag. 19, 27, 193, 194, 195.

(2) Cabanis, *Rapports du physique et du moral de l'homme*, tom. I, pag. 157.

(3) Chaussier, *Traité de l'encéphale.*

(4) Gall, *Physiologie du cerveau*, tom. II, pag. 251.

(5) Cuvier, *Anatomie comparée*, tom. II.

est *Mallebranchius* (1). *Fenelon* (2) et *Bossuet* (3) doctrinam condidêre quæ inter *Cartesii* et *Mallebranchii* opinionem, medium tenebat. *Cartesiani* fuerunt quòd inneitatem idæarum veritates universales et æternas repræsentantium admittebant, et *Mallebranchistæ*, quoniam contendebant veritates eas attributa Dei formare. *Cartesii* doctrina *Idealismo* originem dedit. Ad idæas primitivas, cognitionem rerum referunt *Idealistæ*, qui, ut *Plato*, hanc cognitionem in idæis ipsis quærunt. *Idealistæ* credunt naturam et essentiam materiei nos præterire; quod verum est: ejus enim naturam tantùm et proprietates, organa nostra sensoria excitantes, cognoscere possumus. Errant tamen hi philosophi dicentes à sensibus intellectum in errorem induci, quia huic mancas cognitiones afferunt, eumque in fallacem mundum transportant. *Realistæ* verò omnia talia esse qualia videmus, asserunt. *Pyrrho* persuasum habebat quæcunque nobis apparebant, meros esse errores; de omnibus, imò de suâ ipsâ existentiâ, dubitabat; adeò ut, aliquandò aquis immergendus, nullo animi motu affectus fuerit. Motuum possibilitatem negabant *Xenophanes* et *Zeno*, atque sensibus mobilitatem scænarum, quas nobis offerunt, tribuebant.

Impressionibus egere cerebrum ad actus morales producendos, generaliter admissa opinio, quam suppeditaverat modus quo sen-

(1) Mallebranche, *Recherche de la vérité*, tom. I, pag. 53; tom. II, pag. 73, 96.

(2) « *Les idées universelles sont nécessaires, éternelles, immuables; elles ne sont point nous, et nous ne sommes point nos idées; elles sont donc Dieu même.* » Fénélon, *Réfutation du Spinosisme.*

(3) « *C'est donc en lui que je vois ces vérités éternelles; ces vérités sont quelque chose de Dieu, ou plutôt sont Dieu même.* » Bossuet, *Traité de la connaissance de Dieu et de soi-même.*

suum officia ad actus illos gignendos, concipiebantur, atque omnia intellectûs phœnomena per solos sensus explicandi impossibilitas, celeberrimum *Cabanis* eò adduxère, ut internas impressiones admitteret. Ille varias modificationes quas, secundùm ætatem, sexum, etc.... experitur intellectus, referebat ad organorum internorum motus qui, quamvis a το εγω (*du moi*) non percepti, ei tamen novas imprimunt idæas. Sed sensus secundaria tantùm sunt intellectûs instrumenta, cujus nec qualitates, nec attributa determinant; eorum impressiones reales tantùmmodo sunt quùm ad res externas pertinent; impressionum existentia, jam non ità necessaria videbitur. Dein phœnomena moralia solà encephali dispositione facillimè, absque impressionum auxilio, explicare possumus; itaque si in brutis, in homine, ipso nativitatis momento, sensibus adhuc inertibus, determinationes variæ apparent, à quorumdam encephali partium evolutione et actione originem ducunt, etc. Si tandem, attento animo, hæc impressionum internarum hypothesis inspiciatur, illam omninò respuendam esse constat. Quis enim intellexerit organa inter se tam differentia, organa scilicet vitæ vegetativæ, istius modi cum encephalo relationes habere, quæ systematis nervosi sola attributa esse possunt? Si reverà aliquot encephali actus impressionibus illis tribuendi essent, intellectûs extensio in ratione majoris minorisve organorum internorum evolutionis esse deberet; brutorum ergò perfectiora, iisdem ferè ac homines organis internis prædita, easdem intellectûs facultates exhiberent. Apud idiotas idem esset observandum. Aliundè, quâ ratione per internas hasce impressiones explicaretur, cur, organis internis ferè similibus instructi homines, tam variis passionibus afficiantur? Cur animantium tam varii sunt instinctus? Certè de scientià benè meritus est

ille philosophus, dùm naturæ corporeæ influxum in naturam moralem ostendit; sed erravit ubi conditionibus organicis intellectûs fundamentalibus, actionem hanc annumeravit; et veterum opiniones de temperamentorum actione in intellectum, et philosophorum opiniones qui in visceribus abdominis et pectoris sedem passionum posuerunt, doctrinâ suâ conciliavit.

Ope modificationum, quas encephalum, in circumstantiis jàm allegatis, primitùs expertum est, actuum intellectualium modificationes perfacilè explicantur. Etenim intellectûs nostri status cum sensuum perfectione minimè connectitur; nam in serie animantium et in variis hominibus, nulla datur ratio inter statum perfectionis sensuum et inter functionem moralem et intellectualem; an non animalia quæ, quoad Psychologiam, tam multùm à nobis distant, sensibus prædita fuère? Idiotæ, non-ne sensibus exquisitissimis fruuntur, dùm viri summo ingenio conspicui, sensibus sæpè debilioribus gaudent? Sensus ergò tantùm ut instrumenta secundaria ad cognitionem rerum externarum, et executionem aliquot facultatum necessaria, quæ illarum, nullomodo, potentiam determinant, habenda sunt. A solâ evolutione dispositionum facultatum innatarum, intellectûs vires pendent. Sensationes rebus externis productæ, certè objecta sunt in quibus facultates intellectuales exercentur, et quodam modo sunt Cerebro, quod alimenta stomacho; illæ verò exclusoriè in facultates actionem suam minimè exercent. Infantis ergò animus tabula rasa erit, quamdiù nullas acceperit impressiones. Diversos igitur, apud diversos individuos, harum functionum effectus, sola producit encephali organisatio. Dispositiones sunt innatæ nostræ, et sensationes eis tantummmodo manifestationis occasiones præbent; quarè *Leibnitz* axiomati huic *Aristotelis* adjecit: *Nihil est in intellectu*, *etc.*, *nisi ipse intellectus.*

De causis cerebrum illiusque functiones modificantibus.

Ab ætate, sexu, temperamento, climate, cibis, educatione, muneribus et opificiis plures modificationes accipit.

In vitâ fœtali, impressionibus externis sunt occlusi sensus. Cerebrum tamen sensationes quasdam interiùs, dolorem, v. g., experiri videtur; et illæ producere possunt determinationes, motibus patefactas.

Immediatè post nativitatem *tactus* existit; ordine sequenti reliqui aperiuntur sensus: *Sapor*, *Auditus*, *Visus*, *Odoratus*; intrà aliquas hebdomades perfecti fiunt. Crescit cerebrum, vitâ progrediente; et, secundùm cel. *Gall* opinionem, evolvitur functionibusque suis fungitur cerebellum, physici amoris sedes, et tempore pubertatis vim suam exerit. Versùs vigesimum quintum, vel trigesimum quintum annum, encephalum suæ evolutionis complementum obtinet. Tunc functiones affectionum totis suis gaudent viribus. Per aliquot adhuc annos eodem in statu remanet cerebrum, sed brevi elanguescit.

Quandoquidem plura junioribus experti sunt seniores, meliùs et suadere, et regere poterunt: In ætate decrepitâ obtusæ fiunt sensationes, evanescit memoria, judicium ipsum alterationes subit, et ferè ad infantiam redeunt.

De sexibus hoc loco non agemus; satis enim, in dissertatione hâcce nostrâ, de illis disputatum est et aliàs etiam agetur.

Aliquot physiologi recentiores, sat jure et merito contrà temperamentorum doctrinam coalescentes à solis organis ægris sympathicam influentiam oriri admittunt. In statu sano, mutationem satis sensibilem producere, harmoniam primitùs constitutam au-

ferre organum sanum nequit : organa (statu sano semper supposito) segregatìm vivunt, excepto cerebro, nec nisi in functionum suarum congeneres actionem limitatam exercent.

Characteres quos temperamentorum fautores prædominantiæ systematis sanguiferi, biliosi, etc...... adscribunt, existunt reverà, sed illorum causa, non in organis circulatoriis, biliosis, etc......, quorum, œconomiâ benè valente, generaliter in organismo segregatîm et individualiter minima est influentia, sed in cerebro exclusiorè quærenda est, quod cum cunctis machinæ humanæ partibus commercium habet; etiam si admitteremus temperamenti influxum in functionem intellectualem et moralem, dicere tamen deberemus illud vim suam exercere hâc tantùm ratione, quà in reliquis functionibus agit; tunc, tantùmmodo, encephalo ut cæteris functionibus, imprimere posset languoris vel activitatis characterem, secundùm genus reactionis quod organa illud prædominantiâ suâ constituentia, in encephalo exercent. Vinculum quidem formant temperamenta inter physicam et moralem naturam, sed non ideò conditiones organicæ fundamentales intellectûs habenda sunt; nam idem esset ac si quis temperamenta pro parte constitutivâ apparatûs digestionis, eam ob causam, haberet, quòd digestionem modificent.

Modificationes quas à climate, cibis, moribus, religionibus, encephalum acquirere potest, tam facilè concipiuntur ut nobis eas indicavisse sufficiat.

DE CAUSIS GENERALIORIBUS

MOBILITATIS IDEARUM

NEC NON

AFFECTIONUM APUD FŒMINAS.

CAPUT PRIMUM.

Quinam individui magnâ instabilitate, sive sint sani, sive sint ægri, in variis suis determinationibus conspicui sunt, et quænam sunt illius mobilitatis causæ, in genere.

Horum individuorum examen probabit, illam moralem dispositionem oriri ex innatâ vel acquisitâ debilitate systematis nervosi, et præsertim cerebri, deindè ex totius organismi correlativâ imbecillitate. Illa tamen quorumdam auctorum opinio nos non fugit, qui phœnomenum (mobilitatem), de quo nunc agimus, explicabant organorum exiguitate; sed voluminum corporum differentia propensionum differentias non explicat. Prætereà tam facilè refutari potest hæc opinio, ut necessarium diutiùs in eâ inhærere minimè nobis videatur.

1.° Quid infante inconstantius? et quàm multi auctores, de causis hujus miræ mobilitatis infantum agentes, in errores magnos rapti fuerunt; inter illos præcipuo loco reponendus Stahl; prædominanti apud infantes encephalo, et rapidas eorum sensationum successiones, et frequentes in hoc organo morbos tribuebat. Fatendum est frequentissima, in hâc ætate, apparere symptomata nervosa; sed, an ex indè prædominantiam hujus systematis, aut, aliis verbis, systema nervosum majori actione gaudere quàm reliqua systemata concludere licet? Minimè; nimia enim illa mobilitas ad convulsiones prædisponens, majorem tantùm susceptibilitatem, majorem debilitatem arguit; indè stimulo vel levissimo obediunt et nervi et musculi ipsorum. Reverà invalescentes infantes morbis convulsivis minùs obnoxii sunt; et quò majori susceptibilitate et debilitate conspicui sunt, eò ampliorem illis morbis accessum præbent: si causis quibusdam debilitantibus naturalis eorum aucta fuerit imbecillitas, status hic nervosus magis etiam ingravescit.

Sensationum alacritas et rapiditas, morborum cerebralium frequentia, nullo modo, cerebrum, apud infantes, majorem vim exercere indicat. In sensationum perceptione merè passivum est encephalum; et, ut jam diximus, affectionum morbidarum frequentia majorem tantùm cerebri susceptibilitatem portendit. In teneritate hujus organi sita est causa innumerorum morborum. Nulli nobiscum non sentient medici observatores, affirmabuntque omnes, si tanta sit puerorum mobilitas, si tam facilè morbis corripiantur, debilem eorum constitutionem, infirmaque organa accusanda esse. Nonne quotidiana docet experientia, in majori casuum numero, sanitatis illorum restituendæ causâ, regimen toni-

cum sufficere. Persuasum habeamus *energiam sensibilem cum reali organorum nostrorum vi, in ratione esse inversâ.*

2° Inconstantia, versatilitas, quæ in multis feminis animadvertuntur, ferè semper energiæ defectui adscribendæ sunt. Nonne, sub hoc respectu, individuos sexûs sequioris ad infantium constitutionem similitudine accedere certum est? Attamen hìc monendum mulieres de quibus agimus, ad fortunatiorem societatis classem plerùmque pertinere. Veritas causarum quas mobilitati adscribimus, luce meridianâ clarior evadet, si rusticæ et laboriosæ opificum conjuges cum optimatum matronis conferantur. Priores floridâ constitutione laboribus tribuendâ, quos eis ineluctabilis imperat necessitas, gaudentes, vix sensationibus moventur quas in posterioribus affectiones morales gravissimæ sequuntur.

3° Plurimi viri eamdem offerunt moralem dispositionem quæ, apud illos, ad causam materialem innatam vel acquisitam quam suprà nominavimus, necessariò quoque pertinet. Feminarum instar, individui illi vires musculares exiguas ostendunt; energia enim hujus systematis in producendis motibus et loquelâ, non minùs a cerebro pendet, quàm volitiones quibus ista phœnomena producuntur. Mirum in modum, assertum meum probant turbæ fere constantes quas in affectionibus cerebri præbet systema musculare. Cerebrum tamen quibusdam muscularibus affectionibus, quæ idiopathicæ vocari possunt, originem dare dici nequit; et omnes illæ affectiones rhumatismis annumerandæ sunt. Persuasum autem habeamus quotiescunque effectus complicati et phœnomena quædam apparent, eodem tempore, et in multis et variis locis, ea semper ex eodem fonte, eâdemque causâ primitivâ oriri; talia sunt phœnomena muscularia cerebralia; idiopathica concipi nequeunt. Quæ-

nam enim alia causa, præter organum quod in universum dominatur systema musculare, tantas et tam generales turbas gignere valeret? Quomodo per sympathias directas, quibusdam organis tanta esset cum musculis connexio, ut eos æquabiliter et eodem tempore afficerent? In gravissimum errorem ergo lapsus est cel. *Pinel*, cùm sedem febris adynamicæ in systemate musculari sitam esse asseruerit. Non minùs errârunt plures alii medici quùm crediderint, silente cerebro, organum quoddam in musculos directè et generaliter vim suam exercere posse. Hæc veritas celeberrimum *Cabanis* non præteriit (1). Dantur præsertim aliquot musculi in quos tantâ vi pollet cerebrum, ut, nova et fidelis echo, confestim illius operationes repetant; verba facio de musculis faciei et oculorum. Certè in cerebri affectionibus manifestior adhuc videtur ille influxus; hìc impossibilis evadit dissimulatio, et cerebri statûs facies imaginem fidelissimam exhibet.

4.° Opinio quam de causis mobilitatis profitemur, novam invenit auctoritatem apud individuos post morbos qui vires eorum valdè exhauserunt, convalescentes, et apud illos qui affectionibus chronicis pulmonum, hepatis vel ventriculi laboraverunt. Nonne, in morbis chronicis, v. g., pulmonum, hepatis, etc., ægrorum, continuò, animi status mutatur? Nîl eorum idearum et affectionum celeritati et multiplicitati aliquandò est æquiparandum; sed nîl magis fluxum et caducum. Character ille eò mirabilior est quòd sæpè apud individuos observatur, qui, benè valentes, ingenio eminenti et magnâ constantiâ pollent.

5.° Examinemus demùm viros illos constitutione robustâ et mag-

(1) *Rapports*, etc., tom. I, pag. 171, 172.

nâ systematis nervosi energiâ, id est, evolutione effectivâ non mediocri valentes; apud illos certa et exalta consilia, constantes animi affectus, enthusiasmus et voluntas ardens observantur; dùm contrà apud feminas et omnes individuos constitutione debili et molli præditos, velleitates fluxas, impulsiones sine intermissione sibi succedentes et contrarias, ideasque ac affectiones fugitivas quæ sese invicem, ut æquoris agitati fluctus, propulsant, animadvertimus.

Indè concludere licet *mensuram sensibilitatis, apud illos individuos, reperiri in debilitate correlativâ organorum reliquorum, atque in ingenti eâ facilitate quâ omnes physiologicas modificationes, quibus transmitti videntur sensationes, nervi subeunt.*

In auxilium vocemus summæ auctoritatis viros; Nonne dixit *Buffonius* ingenium (*le Génie*) nihil aliud esse quàm aptum ad patientiam animum? An-non similem professus est opinionem cl. *Newtonius* in epistolâ quam ad medicum *Bentley* misit? « *Croyez-* » *moi*, inquiebat, *si mes recherches ont produit quelques résultats* » *utiles, ils ne sont dus qu'au travail et à une pensée patiente. Je* » *suis parvenu à mes découvertes en y pensant toujours.* » Quàm certa sit illorum clarissimorum virorum opinio de ingenii naturâ, dubitari non potest.

Nam animus ad patientiam aptus, robustam requirit organisationem, quæ semper promptam, semper magnam in meditando defatigationem amovere valeat. An nos fugit, organi quod labore quolibet exercetur, virium exhaustione, requietis necessitatem semper oriri? Non-ne illa quietis necessitas seriùs ociùsve nascitur, secundùm majorem minoremve organi vim et energiam, secundùm operis plus minùsve difficile et molestum genus? Quùm ergò hominem videmus inconstantem rem unam aliâ, hanc alterâ

mutare, non-ne mobilitatem illius ex organorum debilitate ducere originem persuasum habituri sumus? Et hanc cognoverunt veritatem *Thomas*, *Roussel*, *J. J. Rousseau*, *Moreau de la Sarthe*, *St.-Lambert*, *Cabanis*, *Marie Edgeworth*, *Jouard*, *Sibille.*

Quis hujus constitutionis corporeæ influxum in hunc moralem habitum negaverit? Si utriusque sexûs dotes et ingenia comparanda sunt, distinguere debemus ingenium philosophicum quod meditatur, ingenium mnemonicum quod colligit, ingenium imaginans quod creat, ingenium politicum quod regit; dein judicandum est ad quem usque gradum quatuor hæc ingenii genera feminis convenire possunt; an, apud feminas, organorum debilitas e quâ oritur venustas, an indolis inquietudo ex imaginatione nata, an multitudo et varietas sensationum, undè sexûs veneres efformantur, fortem hanc et constantem illis permittant attentionem quâ, nullo intervallo interjecto, longa idearum concatenatio perpendi potest. Sunt-ne feminæ attentionis illius capaces quæ, rebus omnibus ablatis, unicam et totam rem inspicit, quæ ex ideâ segregatâ innumeras exprimit ideas inter se et cum priori connexas et jugatas, vel quæ e magno sparsarum idearum numero, ideam primitivam, vastamque reliquas omnes continentem extrahit?

Haud equidem nos latet, apud viros ipsos, hanc perrarò facultatem reperiri; nonulli tamen illâ præditi, naturam ut cognoscerent, ad summa illius ascenderunt fastigia, intellectui idearum fontem patefecerunt, rationem limitibus certis coërcuerunt, motui leges indixerunt, orbemque universum certo ordine constare demonstraverunt, principia creando scientias creârunt, et animum suum doctrinis excolendo, ingenii humani fines protulerunt. Si illos præclaros viros femina nulla æquiparavit, an educationi, vel naturæ crimini hoc vertendum est?

Considerationes suprà allatæ, et ex unicâ factorum observatione deductæ, nobis sufficere videntur ut, pro principio certo statuamus *debilitatem in ratione directâ esse cum susceptibilitate nerveâ.*

Feminarum temperamenti analysis, earum educatio, nec non socialis statûs examen asserta nostra innumeris argumentis tuebuntur, huic physiologiæ parti studendum esse luce meridianâ clariùs probabunt. Quotidiè eò magis activa fit hominum imaginatio quò plus enervatur organisatio. Affectus teneri, delicati et mobiles, magis pertinent ad graciles complexiones hominum civili cultu expolitorum et enervatorum, et præsertim ad feminas maximarum urbium incolas. Quod verum esse, artium, litterarum, scientiarum culturâ et exercitio demonstratur. Non-ne illæ barbaræ gentes, olim magnâ vi corporeâ præditæ, constitutionem debiliorem, molliorem et quidem enerviorem, lapsu temporis, assumpserunt, simul atque urbanitas ingenii amica, asperiorem, ut ita dicamus, corticem expolivit? Hâc constitutione modificantur ergò facultates intellectuales, et huic eò magis studendum quod quotidiè, vitæ civilioris effectibus, mollitieque et luxu in diem invalescente, frequentior fiat.

CAPUT SECUNDUM.

Femina ad hanc mirandam idearum sicut et affectionum mobilitatem organisatione disponitur.

Brevior est feminæ quàm viri statura; ejus ossa exiliora, tenuiora, albiora sunt, minoremque opponunt resistentiam. Minorem phos-

phatis calcis copiam continent. Musculi sunt minùs crassi, minùs prominentes, minùs robusti, exceptis tamen femorum musculis quì majori volumine et prominentiâ, quàm apud viros, insignes sunt. In feminis minùs solida est tela cellulosa, majori copiâ adipis intervalla fasciculorum fibrosorum repleta sunt. Minùs duri et graciliores sunt tendines, eorumque insertio minorem exhibet resistentiam. Minùs solida est tela cellulosa cujus variata distributio, unius organi ad alterum transitum, minùs subitum efficit; articulationum inæqualitates et asperitates emendat, et sexûs sequioris membris teretes elegantesque illas producit formas quibus pollere nec debent, nec possunt viri. Tenuior earum cutis, ad tactum mollior faciliùs capillaribus vasis rubris perreptatur, etc., etc.

Femina nervos minùs crassos offert, quorum ramificationes numerosiores et tenuiores sunt. Ut reliqua organa, pulpa encephalica gradum mollitiei insignem præbet. Tela cellularis hanc induens et sese in illius divisiones insinuans abundantior est; involucra quæ format et mucosiora et laxiora sunt (1). In hocce organo faciliùs promptiùsque motus omnes efficiuntur propter fibrarum muscularium et vasorum correspondentem docilitatem; suntque auctores plurimi (2) qui et brevitatem correlativam totius staturæ etiam pro causâ habent. Quid de hâc censendum opinione, jam suprà diximus. Sed aliâ parte, cùm hæc fibrarum muscularium debilitas non innata sit, constans hujus maximæ et promptæ sensibilitatis effectus, in eo mirandus est, quòd directè illam debilitatem producat; dùm contrà, vis radicalis musculorum

(1) Bordeu, *Recherches sur le tissu muqueux.*

(2) Vitet, *Méd. vétérin.*, tom. II, pag. 526. — Bordeu, *Recherches sur le pouls*, pag. 6. — Plinius, *Hist. natur.*, lib. II, cap. 2. — Cabanis, *Rapports*, etc., tom. I, pag. 334.

fortioribus profundioribusque impressionibus et exindè minùs præproperis semper conjungitur. Illinc, in œconomiâ animali, nulla datur energica impulsio quotiescunque nullam resistentiam experitur impulsio. Ipsâmet suâ facilitate et enervatur et exstinguitur. Si quidem reactionis energia multùm ab actionis vi pendet, actio quoque alitur reactione, huicque succedit. *Ainsi*, inquit Cabanis, *tandis que chez l'homme la vigueur du système nerveux et celle du système musculaire s'accroissent l'un par l'autre, la femme sera plus sensible et plus mobile, parce que la contexture de ses organes est plus molle et plus faible, et que ces dispositions organiques primitives sont reproduites à chaque instant, par la manière dont s'exerce chez elle la sensibilité.*

Quamvis feminæ constitutionem magis identicam offerunt, non facilè tamen, certo modo, illa corporis peculiaris dispositio, ille cujusque individui habitus determinatur, qui vulgò idiosyncrasia vel temperamentum vocatur. Feminis temperamentum sat generaliter lymphaticum inest (1); quod, sine ullâ exceptione, systematis lymphatici voluminis et activitatis prædominantiæ tribuendum est. Sine ullâ exceptione diximus, nam et hodiè aliquot medici qui, observantiâ, certè, et reverentiâ erga magistros, et forsan quidem effectu istius modi auctoritatis quam, apud ingenia timidiora, opiniones veterum exercent (2), temperamentum lymphaticum explicant statu

(1) Quomodo causam temperamentorum illorumque in encephalum actionem concipiamus, hoc loco, recordare.

(2) Hæc cæca fiducia de omnibus quæ antè nos dicta fuerunt, vitio magno semper vertenda, præsertim damnanda est in medecinâ quæ, ut verè dixit *Baglivi*, *tota in observatione est.* Hanc impedimenti in progressu scientiarum causam jamjam indicaverat *Baco* (*a*). Nervosè quoque eam nostram opinionem protulit *Cl. Hallé* : *Ce reproche*, inquiebat, *qui fait tant d'impression sur les sots, le reproche d'innovation, l'appel aux usages reçus, ce moyen si victorieux*

(*a*) *Franç. Baconis*, novum organum scientiarum. Lugd. Batv. 1645 pag. 26.

laxo et debili systematis illius, eodem nomine salutati. Ubicunquè evellendus est error iste physiologicus ; conducit enim ad funestas in medicinâ consequentias ; quoniam suadet, imò imperat remediorum stimulantium immoderatam adhibitionem, in affectionibus quibusdam quæ, si benè inspicias, nihil aliud sunt, nisi temperamenti lymphatici exasperationes, mera irritatio morbida quorumdam e præcipuis organis assimilatricis potentiæ.

Quidquid sit, rariùs quàm cogitatur, temperamentum lymphaticum purum monstrant generatim feminæ; illud contrà cum sanguifero frequenter combinatur ; et ex hujusmodi permistione peculiaris quædam oritur constitutio, existentiam suam manifestans cutis albore generali, coloratione faciei, et solidorum mollitie atque teneritudine ; *mulierem variore et molliore carne esse quàm virum censeo*, jam dixerat Hippocrates (1). Sensibilitate eximiâ distinguuntur ferè omnes mulieres ; indè facilè, sed modo fugaci, causis quibuslibet moventur, indè functiones cunctæ faciliter peraguntur, et character ille mobilis et lepida festivitas quam et occupationibus gravioribus admiscere solent. In populosis urbibus, aër, educatio, societatis consuetudines ad id concurrunt, ut cùm prædominantiâ lymphaticâ susceptibilitatem nervosam maximam gignant. Undè generalem in illis vis et energiæ defectum, mobilitatem summam, voluntates imperiosas, affectionesque incertas et eodem temporis puncto nascentes et evanescentes miramur. Femina ergò sensibilior est quàm robustior,

auprès des ames paresseuses, ce respect prétendu, ce respect oisif pour l'antiquité, si peu digne d'elle, si funeste aux progrès des sciences, tout fut réuni pour anéantir les observations d'un homme (Sanctorius) qui avait voulu ajouter quelque chose aux travaux des anciens. Encyclopédie, article *Hygiène*.

(1) Lib. I, de mulier. morbis.

faciliùs movetur quàm movet; existentiaque illius in sensationibus magis quàm in ideis et motibus consistit; verbo, plus passiva quàm activa est.

Forsan credideris hanc constitutionem quâ femina omnibus rerum externarum impressionibus patet; quâ faciliùs sentit, quàm actionem causarum sensibilium amovere valet, perpaululùm felicitati favere. Sed si animadvertitur pauciores esse physicas causas nostrarum calamitatum, earumque verum fontem in animâ esse quæ illas memoriâ perpetuat, vel metu multiplicat, perspicuum erit, et inter omnes constabit mulierem, apud quam sensationum varietas diuturnitatem et meditationum pervicaciam tollit, quæ cogitantem et altiùs meditantem virum cruciant, minori spatio à felicitate naturæ humanæ consentaneâ, remotam esse.

Sufficienter et debilitatis et sensibilitatis modum, apud feminas, nos probasse putamus. Si nunc examini nostro subjiciantur phœnomena quorum ope sensationes quædam producuntur, eorum maxima pars, nostrum de mobilitate idearum et affectionum apud feminas, assertum magnoperè fulciet.

Certum est cujusvis acceptæ impressionis sensibilem effectum, per tempus plus minùsve longum, post productionis causam, perseverare. Ergò ideæ; sensationesque nostræ plus minùsve numerosæ, rapidæ et variatæ sunt. A cel. professore *Hallé*, *successibilitatis* nomen accepit status ille successionis; et cum illo præclaro viro, tria *successibilitatis* genera admittimus. Scilicet : 1.° *successibilitas rapida.* Hæc præsertim reperitur apud feminas majorum urbium et pueros; è summâ encephali susceptibilitate nascitur. Illa successibilitas, in his individuis, parùm profundas sicut et parùm durabiles impressiones reddit. Reverà eâdem horâ, et gaudii

risus et mœroris lacrymæ, apud illos, persæpè eruperunt. Si contrà, aliter res sese haberet, si sensationes eò majori alacritate et prorogatione gauderent quò celeriùs transmittitur impressio, haud dubiè concussibus istis non resisteret cerebrum, brevique exercitio nimis constante exhaustum effetumque foret. Illa nempè quæ apud viros, vix ullam sensationem producunt, apud feminas sensationes pervivas, aliquandò etiam convulsiones pariunt. Ea rapida successibilitas ad aliquot quoque pertinet viros quorum sensibilitas causis quibusdam adulterata fuit; tales sunt, v. g., hypochondriaci, hysterici, etc.

2.° *Successibilitas moderata.* Observatur hæc quamplurimùm apud individuos illos utriusque sexûs quorum sensibilitas nullam accepit influentiam vel ab otio, inertiâ, educatione pravâ, et voluptariis nec non repetitis sensationibus. Ea dicitur *successibilitas moderata*, cùm successio atque prorogatio impressionum vi voluntatis aut distractionibus interrumpi possunt.

3.° *Successibilitas lenta.* Plurimas illa agnoscit causas; vel originem ducit ex susceptibilitate ità debili, ut magna rerum copia sensus percellat, nec nisi difficilè impressionem moveat. Vel individuus magnâ præditus est susceptibilitate, sed altam impressionem passus fuit, quæ cunctas illius animæ facultates exclusoriè ferè occupans, ægerrimè novas admittit ideas. Ingentes et validæ passiones vel in sensibilioribus subjectis eumdem edunt effectum, in feminis, v. g. *successibilitatis* igitur lentitudo vel ab effectu magnitudinis realis causæ quæ impressionem produxerit, vel a dispositione individuo illam accipienti propriâ, pendere potest. Ad statum hunc abstractionis accomodanda est sequens physiologica veritas : *quotiescunque organorum systema quoddam vehementer*

excitatur, virium concentrationes in hoc systemate, reliqua organa ad munera sua obeundum inhabilia reddunt.

Cùm autem, secundùm gradum energiæ innatæ vel acquisitæ organorum in quibus locum habent, plùs minùsve durabiles sunt impressiones; susceptibilitas ergò nervosa et successibilitas rapida quæ, apud majorum urbium feminas animadvertuntur, in perfectâ correlatione sunt cum debilitate. Si ergò omnia quæ suprà dicta sunt, ad analysim reducantur, constat nullam ferè feminam conditiones physiologicas non præbere, quæ, supra vim, sensibilitatis excessum constituunt, id est, hunc statum in quo, vis materialis detrimento excitatur sensibilitas; atqui has physiologicas conditiones à mobilitate idearum et affectionum sexûs sequioris sejungi non posse manifestum est.

CAPUT TERTIUM.

De causis occasionnalibus quæ hanc mobilitatem evolvere solent.

Inter uberrimos perturbationum œconomiæ animalis fontes, primum occupat locum abusus ciborum et potuum. De selectu et qualitate alimentorum assumendorum quamdam *Hippocrates* legem posuit, quæ, bene intellecta, omnes diætæ regulas complectitur. *Hæc est*, inquit, *ciborum offerendorum occasio, ut eâ copiâ exhibeantur, quam corpus superare valeat* (1). In individuis sexûs se-

(1) De locis in homine.

quioris postulat tantùm natura, alimentorum copiam cum organorum debilitate et laboribus minimè operosis quibus assueti sunt, consentaneam, et qui innatam eorum imbecillitatem adhuc adaugent. Esuriei fallaci obediens, ordinem legitimam naturæ transcendit imprudens homo; consuetudinem vel voluptatem pro necessitate accipit; nec ampliùs ciborum quantitatem, illorumque assumptionis tempus præscribit sagax natura; in stomacho adhuc repleto alimenta accumulantur; difficillima, sæpèque impossibilis evadit digestio; exigua tantùm ingestorum pars legem assimilationis subit; reliqua principium constans irritationis parit; undè ingentes et innumeræ turbæ in functionibus organorum, aut consecutivæ virium defectiones, in maximi momenti organis ad vitam sustentandam, oriuntur.

Quotidiana docet experientia cibos et potulenta facillimæ digestionis cum feminarum delicatulis organis congruere; easque, palato nondùm exsurdato, semper vegetabilia, fructus, lac, etc...... appetere. Quùm verò hunc salutiferum extinxerit instinctum jurulentorum ciborum abusus; femina gulosa minùs quàm exquisitorum cupida, salsa et aromatica alimenta, et aliquandò spirituosos et aromaticos liquores avidè exoptat. Gustûs suaviter titillandi desiderium hæc primùm excitantia accessiverat; brevì autem desiderium in consuetudinem et insuperandam necessitatem mutatur. Istius modi assuetudo organorum hebetat sensibilitatem, viresque debilitat; quandoquidem, primâ consuetudine nullam ampliùs sensationem movente, novâ excitatione opus est. Profectò istius modi regimen in causas susceptibilitatis apud feminas, et in illarum causarum effectus vim maximam exercet.

Segnities nimia valetudinem simul et formositatem tollit. Fe-

minis magis metuendum est otium quàm occupatio. Maximæ illis utilitati est labor iste levis qui artus et ingenium molliter agitat; illé omnes earum functiones faciliores reddit, simulque valetudinem et quod illis chariùs pretiosiùsque est, venustatem nempè fovet. Opulentiæ, otii, et passionum abusus sensibilitatem primitivam penitùs delet, magnumque gravissimorum morborum numerum gignit. Exercitium diximus feminis necessarium esse; sed earum tenera complexio non nisi moderatum requirit. « *Leurs faibles bras*, ait *Roussel*, *ne sauraient supporter des travaux trop rudes et trop long-temps continués*, *et les grâces s'accommodent peu de la sueur et du hâle.* »

Nimis scrupuloso calculo non submittendum est exercitium; longè præstat propensionem suam sequi, vel potiùs instinctum cujus sæpissimè impulsio optimum est consilium, quàm vana hæc ordinis et regularitatis præcepta quibus cum religione anxià permulti se subjiciunt. Audiamus rursùs hâc de re cel. *Roussel* : « *Si on se promène purement par régime*, *la promenade ne nous intéressant pas assez pour nous enlever hors de nous-mêmes*, *nous permet trop de penser au motif qui nous fait promener*, *et qui devient par conséquent un sujet de contention d'esprit*, *capable d'empêcher l'effet d'un pareil remède.* »

Exercitium quod post pastum, digestionis promovendæ gratià, suadere solemus, in eo tantùm utile est, quòd diversioni actionis cerebralis faveat; ad hunc quoque scopum suadentur recreationes animi, colloquia blanda et jocosa; nec ullam ex præscriptâ exercitatione utilitatem ille caperet qui, sensus inertes relinquens, cùm deberet per alternas vices quæcumque obambulando obvia fierent, perlustrare, in incœptis meditationibus pergeret. Quo facto osten-

ditur exercitationes quibus in hanc finem utimur, non, ut aliquot mechanici physiologi contendunt, ventriculo leves motus imprimendo, agere. Baglivi nostram professus est opinionem dicens digestionem difficillimam fieri apud illum qui in digestione constantem mentem defigit.

Puellarum educationem quæ ad prævalentes, apud eas, affectionum passiones comprimendas spectare deberet, effectus omninò contrarii quotidiè sequuntur. Animo angeretur mater nisi *maximæ sensibilitatis* signa maturè præbentem filiam suam videret. Nihil ergò, ut filia funestissimum hoc obtineat donum, intentatum relinquitur; iners remanet systema musculare; spectacula frequentantur; libri ad quasdam passiones excitandas, mentemque erroribus, ideisque vero societatis statui adversantibus imbuendam, quàm maximè idonei leguntur; illæ sunt funestæ et variæ influentiæ quibus puellæ, hâc ætate submitti solent quâ encephali facultates directionem longè contrariam poscerent. Agendi rationibus respondet finis. Unicus tantùm exercetur functionum ordo, immensam potentiam acquirit, rationalibus imperat et quietis facultatibus, et fons evadit turbarum nevropathicarum, hystericarum, hypochondriacarumque, etc., uberrimus.

Plurima et tristissima ejusmodi abusus exempla illæ feminæ suppeditant quæ, totâ mente, omnique animi impetu in arduum scientiarum studium nimis diù incubuerunt. Immodica encephali excitatio, non solùm, in hoc organo exclusorium actionis motuumque centrum efficit, quod vel reliquorum organorum energiam imminuit, vel eorum turbat evolutionem, sed, cum in iis exerceatur quæ hujus activitatis sphæram transgrediuntur, sedes necessariò evadit susceptibilitatis morbidæ, quæ parit et perpetuam facit infelicem hanc

mobilitatem, atque miserrimam dispositionem ad cephalalgias vel periodicas hemicranias, ad vapores, hysteriam, et ad innumeras alias affectiones quibus tota contaminatur vita.

Aliquandò, imò sæpissimè, allatas quæ effugerunt influentias, ipsismet in rebus domesticis incommodorum causam reperiunt, de quibus in hâc nostrâ dissertatione agitur. Ille solus qui omnia domûs secreta noverit, veras conjugum relationes intelliget, semperque renascentes causas æstimabit, quæ domesticas sollicitudines et querelas producunt; cave ne pacis species te deludat; plurimis in casibus, domi et quieta omnia apparent, simulata est concordia, nihilque intùs irâ et odio non ardet. Alter decrepitus et effetus fas et jus naturæ delens cupit, vultque suam adhuc juventutis flore vernantem conjugem, amore mutuo inflammari; alter ut quiescat uxorem ducit; morbosus, servam sibi ægrotanti custodem adjungit; mancus et zelotypus, uxorem suæ captivitatis fieri participem jubet. Viri ferè semper pessima vitæ dissolutæ et morum perditorum exempla præbent. Quot, quantæque acerbitates, molestiæ, sollicitudines è talibus nascuntur causis!!! Eòque magis nocivæ quòd miserrimæ conjungi officium sit suos mœrores celare, animâque dolente et agitatâ, tranquillam se et felicem mentiri. Non-ne ex diversis ejusmodi conditionibus oritur hæc idearum et affectionum mobilitas? Non-ne per illas conditiones sufficienter explicantur frequentissimæ, apud individuos sexûs sequioris, intellectualium et affectionum alterationes, quas generaliter, *alienationes mentales* appellamus?

Quid in societatis urbanæ commercio et vespertinis congressibus observatur? Constans inter physicam et moralem naturam æquilibrii defectus; corpus immotum, mens perpetuò agitata: prognatis indè turbis incrementum adjicit lumen arte diffusum, quod lam-

padum nimià proximitate, numero et splendore, oculorum aciem lædit, etc..... quid ergò futurum, si in ludis hisce pervigilibus in quibus nox pro die, dies pro nocte habetur, atmosphæra, aëris liberioris puri defectu corrumpatur? Ejusmodi congressuum scænæ repetitæ, mox sensibilitati inferunt pravam energiam, quæ semper constitutionis detrimento fieri solet.

Ordinarios nunc consuetudinis effectus examini subjiciamus : Physiologi, philosophi etc., consuetudinis effectu constanti asserunt actiones omnes nimis repetitas ad terminum medium, indifferentiam nempè, reduci. Verum est illud assertum, quod unico facilè exemplo demonstratur, spectaculo videlicet orientis solis, quod, si primùm oculis nostris appareret, incredibili nos afficeret admiratione, et tamen visu quotidiano assuetos animos vix commovet ; sensationes repetitæ a reliquis sensibus suppeditatæ eumdem edunt effectum. Quæ maximo prosecuti sumus amore et ardore, nobis propter solam diuturnitatem, vicissim fecundi evadunt satietatis et fastidii fontes. Mirum in modum cel. *Bichat* has immutabiles leges exposuit ; et ut explicaret quomodò sensationes nostræ tam varias et tam sæpè oppositas modificationes experiri queunt, audiamus argumenta quibus doctrinam suam fulsit : « *Pour le concevoir*, inquit ille, *remarquons que le centre de ces révolutions de plaisir, de peine et d'indifférence n'est point dans les organes qui reçoivent ou transmettent la sensation, mais dans l'ame qui la perçoit. L'affection de l'œil, de la langue, de l'ouïe, est toujours la même; mais nous attachons à cette affection unique des sentimens variables.*

» *Remarquons ensuite que l'activité de l'ame dans chaque sentiment de peine et de plaisir, né d'une sensation, consiste en une comparaison qui n'est point le résultat de la réflexion, mais l'effet*

involontaire de la première impression des objets. Plus il y aura de différence entre l'impression actuelle et les impressions passées, plus le sentiment en sera vif. La sensation qui nous affecte le plus est celle qui ne nous a jamais frappée.

» *Il suit de là qu'à mesure que les sensations se répètent plus souvent, elles doivent faire sur nous une moindre impression, parce que la comparaison devient moins sensible entre l'état actuel et l'état passé. Chaque fois que nous entendons un son, que nous goûtons un mets, etc., nous trouverons moins de différence entre ce que nous éprouvons et ce que nous avons éprouvé.*

» *Il est donc de la nature de la peine et du plaisir de se détruire d'eux-mêmes, de cesser d'être parce qu'ils ont été. L'art de prolonger nos jouissances, consiste à en varier les causes* (1). »

Si attento animo, ad ea quæ suprà dicta sunt attendamus, brevi persuasum habebimus : consuetudine gigni indifferentiam, indifferentiâ tædium, tædio desiderium novorum, desiderio mutandi necessitatem, inconstantiam.

« *Ensuite*, ait Bichat, *je dirais presque, si je n'avais égard qu'aux lois de notre organisation matérielle, que la constance est un rêve heureux des poètes, que le bonheur n'est que dans l'inconstance, que ce sexe enchanteur qui nous captive, aurait de faibles droits à nos hommages si ses attraits étaient trop uniformes, que si la figure de toutes les femmes était jetée au même moule, ce moule serait le tombeau de l'amour, etc.... Mais gardons-nous d'employer les principes de la physique à renverser ceux de la morale; les uns et les autres sont également solides, quoique parfois en opposition. Remarquons*

(1) Bichat, *Recherches physiologiques sur la vie et la mort*, pag. 43, édit. 1802.

seulement que les premiers nous dirigent presque seuls; alors l'amour que l'habitude tente d'enchaîner, fuit avec le plaisir et nous laisse le dégoût ; alors le souvenir met un terme toujours prompt à la constance, en rendant uniforme ce que nous sentons et ce que nous avons senti : car telle paraît être l'essence du plaisir physique, que celui qui est passé émousse l'attrait de celui dont nous jouissons. Voyez cet homme que l'ennui dévore à côté de celle près de qui les heures fuyaient jadis comme l'éclair ; il serait heureux s'il ne l'avait point été, ou s'il pouvait oublier qu'il le fut autrefois. Le souvenir est, dit-on, le seul bien des amans malheureux, soit, mais avouons qu'il est le seul mal des amans heureux (1). »

Considerationes quas hic retulimus ad omnes individuos pertinent speciei humanæ. Hìc in virum et fœminam eædem causæ agunt. Mulier tamen in eo consuetudinis effectibus favet, quòd prædita fuit illo charactere primogenio mobilitatis, eâ variandi necessitate quæ è constitutione ejus et causis adventitiis jamjam examinatis, indubiam originem ducit.

Excerpta *Bichati* perlegentibus, in mentem naturaliter venit effatum à celebri *La Rochefoucauld* editum, quod nec approbabimus nec reprehendemus, sufficiet nobis hoc referre : « *La constance en amour*, ait, *est une inconstance perpétuelle qui fait que notre cœur s'attache successivement à toutes les qualités de la personne que nous aimons, donnant tantôt la préférence à l'une, tantôt à l'autre; de sorte que cette constance n'est qu'une inconstance arrêtée et renfermée dans un même objet.* » Si nos non detineret paradoxorum metus, certè hunc in locum commentati fuissemus; sed ad mores

(1) Bichat, *Recherches*, etc.

spectat quæstio quam nostrum non est agitare. Veneremur ergò illas severas leges quæ inter officia conjugum fidem reponunt. Nobis tamen notandum est hanc fidem præsertim observandam esse debiliori, mulieri scilicet. Semper femina errorum et legum nostrorum servituti addicta est. Quis inæqualitatem jurum inter conjuges negaverit? Imò, hocce nostro tempore, quo omnes ferè è mentibus nostris avulsæ sunt opiniones præjudicatæ, quibus earum ad altiorem virtutis gradum progressus retardari poterant, omnem sibi debitam justitiam nondùm consecutæ sunt feminæ. « *Dans les pays*, inquit *Condorcet*, *où elles furent le plus respectées*, *où la polygamie fut proscrite*, *ni la raison*, *ni la justice n'allèrent jusqu'à une entière réciprocité dans les devoirs ou dans les droits de se séparer*, *jusqu'à l'égalité des peines portées contre l'infidélité.* (1) »

Credendum est errores istos ad illas adhuc spectantes omninò tantùm ablatum iri, quùm justæ et sæpius repetitæ observationes certam dederint mensuram germanæ differentiæ inter facultates physicæ et moralis naturæ, inter virum et feminam. Tunc tantùmmodò evanescent sophismata innumera quæ utriusque sexûs peperit vanitas; tunc debiliori injuria non ampliùs fiet; tunc immodicum præstandi et dominandi desiderium viri abjicient; tunc femina ortas è diutinâ injuriâ simultates, insanumque metum amittendi jucundiorem potentiam dùm ad æqualitatem propiùs accedere contendit, facilè deponet.

Nostrâ ætate feminæ totam severitatem legis et opinionis subeunt. Indè plùs quàm nostra sexûs sequioris felicitas pendet

(1) *Esquisse d'un tableau historique des progrès de l'esprit humain.* Paris, édit. 1822, p. 37.

Non tantùm casta moribus debet esse mulier, sed et talis habenda est. In semet ipso vir suum habet honorem, ab aliis solùm efformatur mulieris fama. Calumniam obterere atque contundere vir valet; dùm femina quæ amicis indulgere falsè diceretur, a se culpam amovere non posset. Quotidiè dicitur : « *L'amitié d'homme à femme est un Dieu Protée qui ne demande qu'à changer de forme.* »

Summâ observantiâ publicam opinionem colere debent feminæ; hæc enim ridicula, injustaque opinio aliquandò feminam afficit ignominiâ propter eamdem actionem quæ in viro vix ac ne vix quidem vituperatur. In his tamen circumstantiis semper damnandis, sæpissimè mulier est potiùs passiva quàm activa. Apud viros aliter res sese habet; inconstantia nostra magis est activa; et, si veritatem fari volumus; feminæ generaliter in amore majorem præbent constantiam. Hæc animadversio quæ, primo aspectu, non verisimilis et cum omnibus jamjam dictis discrepans videtur, brevi veritatis induit speciem quùm recordamur mulieres in amando innumeris discriminibus varios et delicatulos sensus experiri, quos nunquam nostra percepit sensibilitas. Amoris, apud illas, vis et energia maxima sunt. Amor, feminarum ingenita quasi et exclusivè propria passio, earum anima, deliciæ, felicitas et cruciatus. Apud viros contrà, secundum tantùm occupat locum, ferventisque adolescentiæ comes, cum ipso ætatis flore evanescit; huic succedunt vehementiores, durabilioresque cupiditates. Nonnunquam amoris vehementi et altissimo sensu elatæ feminæ, vitam abjecêre. Viri tanto ardore non amant. Violentiores sunt viri; feminæ contrà magis sunt teneræ, altiùs sensibiles. Hæc veritas non effugit *Ludovicum Racine* cujus hæc verba sunt : « *Comme les femmes ne sont pas distraites par les passions sérieuses qui occupent les*

hommes, elles se livrent entièrement à l'amour qu'elles savent exprimer avec cette vivacité et cette variété de sentimens qui font l'ornement des ouvrages poétiques.

» *Virgile semble glacé quand il fait parler Enée ; il a épuisé tout son feu pour faire parler Didon. Le poète qui a la réputation d'avoir le mieux connu les ressorts du cœur humain, ne fait jamais mieux jouer ces ressorts que dans le cœur des femmes. Xipharès, Titus, Bajazet, sont froids lorsqu'on les compare à Monime, Bérénice, Roxane et Attalide ; et auprès d'Hermione, Oreste lui-même paraît tranquille.* (1) »

Miremur feminarum constantiam frequentem, quùm scimus quot quantasque causas hanc delere queunt.

CAPUT QUARTUM.

De regulis aliquot hygienes quæ hanc dispositionem, quantùm efficere et consequi valemus, quando innata est, corrigere possunt, vel quæ hujus evolutioni, cùm perversæ institutionis naturalis est consequentia, impedimento esse queunt.

Non longam examinabimus affectionum seriem quibus laborant individui, conditionibus jam perpensis conspicui. Si enim ex hoc

(1) Louis Racine, *Mémoires des Inscriptions et Belles-Lettres*, tom. XIII, pag. 358.

divi senis aphorismo : *si quid doluerit antè morbum, ibi se figit morbus*, inferre possumus, debilitatem, id est energiæ defectum et sensibilitatem exaltatam, conditiones esse quàm maximè idoneas ad morbos in organa inferendos, quæ nobis hunc characterem monstrant; facillimè persentiscere valemus perpaucis morbis immunes esse individuos quorum energiam encephalicam innumeris causis suprà expositis depravatam vidimus.

Experientia et observatio, quas duces in omnibus sequi utile est quæ ad medicinam spectant, propositi nostri veritatem evidentiorem etiam faciunt. Morbi illi qui *nevroses* vocati fuerunt, cum miserandâ frequentiâ apud individuos sexûs sequioris et viros quoque nonnullos animadvertuntur. In eo omnes consentierunt medici practici, sed non eâdem curâ, nervosorum affectionum cum mobilitate relationem observaverunt.

Amabilis hæc et naturalis levitas quæ nobis vel invitis apud fæminas placet, et quam miramur, à nonnullis auctoribus ut fons multorum vitiorum habitus est. Sed qui naturæ ex factis studet, sinè refutationis metu asserere potest, sensum illum cujus particeps non fit voluntas, et quo omnes ferè mulieres insignes sunt, nec imperfectionem, nec, à fortiori, dùm moderatus sit, ullius vitii fontem habendam esse. Itaque falsissimum est mulieres propter hanc mobilitatem in omnibus suis affectionibus moralibus esse inconstantes. An non idem evenit in earum relationibus physicis? Natura liberali manu feminas dotibus, ad earum conservationem, et utriusque sexûs felicitatem, maximè idoneis ornavit. Cùm naturalia eis desideria indubitatæ utilitatis principium semper contineant, mulier, hâc continuâ sensationem varietate, non suam tantùm, sed et nostram quoque felicitatem promovet; illud in laboribus acre

virorum studium, animique contentiones moderatur; molestiam depellit, amaras vitæ sollicitudines hilaritate temperat; odii furores et irati animi motus sedat, ac sensim sensimque destruit; tandem sæpissimè a nobis turbas organicas ingentes et quàm plurimùm irreparabiles removet, impeditque quominùs offendantur mores. Ex unâ parte utilis, ex alterà multùm voluptatis habet moderata feminæ mobilitas; suas enim multiplicare nequit sensationes quin etiam nostrarum numerum augeat; et quandoquidem qui sentit vivit, ardoris quo femina animatur in frigidam virorum existentiam resiliunt scintillæ, et gratissimo hoc influxu alacriùs incalescimus. Prætereà, cùm mirabilis ea propensio, blandæ voluptatis sæpissimè causa sit, femina suammet ipsam exornando vitam, nostram exornat; et quò felicior evadit, eò longiùs felicitatis nostræ limites profert.

Haud dubiè immenso spatio distat hæc jucunda mobilitas quam miramur, ab istâ rapidâ et quasi, ipso temporis articulo, oriente et evanescente idearum successione quæ in intellectu nascuntur et pullulant, ab isto tumultuoso moralium affectionum et sensationum, gaudiique mæroris et iracundiæ motuum, qui oriuntur et subitò, nullum reliquentes vestigium, evanescunt. Miseranda certè plurimarum conditio, et illarum præsertim quæ principem in societate occupantes locum, sensibilitate propter allatas causas depravatâ præditæ sunt. Hujus mobilitatis status paululùm adauctus, si constans remanet, nominatur *alienatio mentalis.* Morborum systematis nervosi observatio multos instabilitatis gradus, inter duo hæc extrema, intermedios præbet, qui habendi sunt ut communicationis annuli inter utramque hanc extremitatem, faciuntque ut, occupatis intervallis, perfacilè varia similitudinis lineamenta dignoscere va-

leamus. Si totam seriem morborum nervosorum percurrimus; apud individuos his morbis laborantes mobilitatem in affectionibus et motibus plus minùsve rapidam observare dabitur; si, secundùm hunc peculiarem characterem, morbos dividimus, statim persuasum habebimus inter inconstantiam quæ primus, et amentiam quæ ultimus harum affectionum catenæ annulus habetur, nullam essentialem differentiam, sed tantùm differentiam characteri plùs minùsve sensibili ejusdem affectionis correlativam existere. Et reipsâ, quis nescit feminarum alienatione mentali correptarum majorem animadverti, quàm virorum numerum?

Ut ergò ista prædispositio ad morbos nervosos, et ad nimiam idearum et affectionum, eo sensu quo diximus, mobilitas amoveatur, seu deleatur cùm perversa institutio, otium, intemperantia, passiones hanc evolverunt, equilibrium in variis œconomiæ systematibus restituendum est, et indicanda certa mensura alimentorum, exercitii et passionum; itaque illis apud quos hæc prædispositio, hæc vitiosa constitutio existit ægritudini proxima, etc.... suadendum est: 1.° ut à cœtibus numerosis recedant, in quibus aër fere semper vitiatus reperitur; 2.° ut a stimulantium omnium tum externorum, tum internorum omni genere abstineant; 3.° ut balneis frigidis utantur; 4.° ut nullos, nisi facillimæ digestionis cibos adhibeant; 5.° ut ruris moderatâ exerceantur defatigatione; quæ diximus in capite præcedenti sufficienter indicant exercitia feminis convenientia; 6.° ut à librorum eroticorum lectione abhorreant; etc....... cæterùm non possumus non egregia indicare præcepta quæ et in lectionibus hygienes, et a reliquis facultatis nostræ professoribus accepimus, quotiescunque opportunam, hygienes regulas explicandi occasionem nacti sunt; liceat, hodiè, meritas illis memori de pectore grates

promere, quòd tam constanti curâ cognitionum nostrarum orbem extendere conati fuerint; liceat profiteri quàm insigni laude, paternam Regis optimi nostri expectationem expleant. Sed ne hoc quidem sit satis, nec nos, acceptorum beneficiorum benè memores, post *clarissimos professores*, nominare hìc pigeat modestum perdoctumque *Van Lokeren*, Nosocomii civilis medicum, a quo, dum ægros invisentem sequeremur, nunquam non paulò artis medendi peritiores discessimus.

Eò revertamur undè nos aliquantisper grati animi sensus avocavit. Ut perveniamus ad finem dissertationis, adhuc nobis disserendum est de educatione feminarum, de eâ scilicet quæ maximè cum earum organisatione et felicitate sociali congruit.

Omnes societatis classes eamdem habere institutionem non valent; sed omnes a primâ usque ad ultimam qualiscunque educationis beneficii participes esse debent. Alibi animadvertimus facultates affectivas in feminis, intellectualibus præstare. Generaliter notum est eas, comparatione cum viris factâ, in gradu inferiori, ratiocinandi vim, ingenii altitudinem, potentiam meditationis possidere. Sagacitate, memoriâ, acri judicio in rebus vulgaribus, et ad earum captum accommodatis præditæ sunt; sed carent sublimi illâ facultate ope cujus ad causas primarias assurgimus, generales rerum relationes amplectimur; et a factis peculiaribus et segregatis ad eorum complexum et universale systema ascendimus.

Non ergò mulier fiet metaphysicus, philosophus, legislator, hùc usque viribus impar, evehi nequit; nec hujus officia cum tali studiorum genere congruunt. Exiguus exceptionum numerus regulam generalem sæculorum experientiâ sancitam delere non valet; insuper cum recentiori auctore dicamus : « *Le joli front de Vénus*

diffère trop du beau front d'Apollon pour être susceptible du même ordre de connaissances. »

Sed si femina ad summum ingenii gradum tendere nec debet, nec potest; acuto et facili ingenio donata, artes ingenuas, linguas, litteraturam, non sine fructu colere potest; et quanquam in hoc quoque inferior viro, non solùm eò perveniet ut judicare et cognoscere, sed etiam ut peritissimos magistros adæquare valeat. Credo tamen mulierum instructionem non ultrà linguas hodiè in usu, litteraturam patriam, artes liberales, musicem videlicet, picturam et graphidem, promovendam esse; quibus fortè generales quasdam de scientiis, ut v. g. de botanicâ notiones adjungere non inutile futurum est. Studium enim altioris scientiæ, non tantùm exigit ingenium philosophicum, sed conducit quoque ad ideas contemplativas, ad quasdam nimis generales abstrusasque considerationes, attentionem nimis seriam, et magnam cogitandi vim exposcit. Mulieris ingenium notionibus ornaret quibus locum in societate non suum teneret, veneres amitteret sibi proprias, a charactere naturali recederet, nec jam teneros animi affectus altamque et alacrem sensibilitatem retineret quâ societatem ornat et delectat. Præter incommoda jamjam indicata, feminæ quæ nimias animi contentiones suscipiunt, potentissimis orbantur illecebris quibus omnium sibi amorem conciliare solent; personam sibi non congruentem ferè semper agentes, seu ambitiosâ vanitate ridiculæ evadunt, seu in apathiam incidunt quam gignit meditatio; quasi societatis commercio alienæ, usus vulgatissimos, maximèque necessarios ignorant, aliisque perpetuò quàm quibus decet rebus detinentur. *Baco* qui hoc noverat, de illo agens vitio sic loquitur: « Aliud vitium litteratis familiare, » quod faciliùs excusari potest quàm negari, illud nimirùm, quod

» non facilè se applicent et accommodant ad personas quibuscum » negociantur aut vivunt (1). »

Quoddam ergò medium femina teneat ; vitare et fugere debet otium, desidiamque, quæ secum mala numero infinita trahunt. Pleræque tamen optimatum matronæ otiosam, desidiosamque vitam terunt. Nam quis occupatas illas dixerit quibus unicus labor, garriendo diem consumere, aut amatorias lectitando fabulas, aut, quod maximè puellis nocivum, choreas, spectacula, cœtus frequentando? Sic in defectu educationis positivæ, jucundæque, primariam omnium quibus cruciantur, curarum, dolorum et calamitatum causam reperies. Occupatione et studio amœno nihil aptiùs, ut imaginationis ardor effrenatus, et pleraque reprimantur feminarum vitia (2).

Cæterùm quidquid utilitatis capi queat ex summæ prudentiæ præceptis, ex bonâ educatione et honestissimis moribus, medicina moralis vel optima nec temperamentum, nec indolem quæ sese frequenter educationis imperio subducunt, mutare potest. Educatione quidem modificari aliquatenùs valent; sed indolis naturam totam subvertere, vel ad nutum, excitare aut compescere cupiditates, omninò impossibile.

Reverà, si ad dotes attendamus quibus homines a se invicem discrepant et eminent, certè agnoscemus aliquid nobiscum nasci, cujus evolutio primum nostræ existentiæ modum ineluctabiliter sequitur. Iisdem in circumstantiis, iisdem influxibus obnoxii, consanguinitate, et, quantùm effici potest, educatione, consuetudinum et exemplorum

(1) *De augmentò scientiarum*, lib. I, pag. 22.

(2) Videas quæ de hâc scripsère materiâ et *Montaigne* (*Essais*), et immortalis Helvetiæ philosophus. (*Emile*, livre de *Sophie*.)

auctoritate pares, inter se tamen quàm maximè homines differunt. Aliquandò quantocumque virium apparatu aliam eorum facultatibus directionem imprimere contendatur, propensiones et habitus vel in physicâ vel in morali et intellectuali naturâ, nullo superando obstaculo suscipiunt. Attamen vivendi ratio, exercitium, atmosphærici influxus, plurimorum systematum proportiones plurimùm immutant. Maximum obtinet evolutionis gradum exercitatum frequenter organum quodlibet. Transitus vitæ urbicæ ad rusticanam et in valitudine et in affectionibus mutationes determinat. Otium contrà et inertia, impressiones quædam a sensibus suppeditatæ, vim quam imprudens juventus aliquot organis infert, sensationum voluptuosarum insectatio, libido illa quâ, ætate nondùm maturâ, quædam ideæ aluntur, organo encephalico habitum, mobilitatem imprimunt, undè non rarò dispositio convulsiva oritur. Immoderata sensibilitas de quâ nonnunquam gloriamur, funestissimo sæpè debetur errori, quem fovere nos juvat; ibique virtutes aliquandò reperiendas contendimus, ubi nihil, præter voluptatem, quæsitum est. Quidquid sit, concludamus ergò cum clarissimo *Hallé* : « *Il existe en nous une trame première, individuelle sur laquelle se brodent notre vie, notre existence.* »

TANTUM.

THESES.

I. Cordis dilatatio passiva est.

II. Arteriæ sunt passivæ.

III. Musculi sese contrahentes volumine minuuntur.

IV. Nullus morbus sine læsione organi.

V. Logicæ repugnat definitio clarissimi *Bichat : La vie est l'ensemble des fonctions qui résistent à la mort.*

VI. Plethora est morbus.

VII. Non datur epilepsia sympathica.

VIII. Febris intermittens ut vera entitas morbida, affectio nervosa distincta habenda est.

IX. Errant physiologi qui debilitatem generalem virium cerebralium, è caloris actione natam, deperditioni majori fluidorum perspiratoriorum cutis adscribunt.

X. Frigus debilitat, frigus stimulat.

XI. Odoratu ablato, gustus vitiatur, ne dicam, deletur.

XII. Nullus intellectûs alteratio absque encephali læsione.

XIII. Dolores in exostosibus, qui nimiam periostii inflammationem vel tensionem concomitantur, si venerei fuerint, hujus membranæ incisione maturâ et subitò sedantur, et cariem impediunt.

XIV. E dissertatione nostrâ apparet doctrinam idearum innatarum rejiciendam esse.

XV. Encephalum organum esse motuum omnium voluntariorum, facultatum intellectualium, moralium et affectionum, ex nostrâ quoque dissertatione patet.

XVI. Nobis non verisimile videtur germen humanum, animale lineamenta totius corporis continere.

XVII. Ophtalmiam *Æ*gyptiacam contagiosam esse contendimus.

Nihil reperi quod § 56
legis Acad. adversetur.
J. L. KESTELOOT,
Fac. Med. Prof. ord. h. t. Dec.